

rarò cernimus; & multi vicissim, qui sub diverso
siderum Dominio nati sunt, in eadem tamen Vitæ
Felicitate sæpius conveniunt. Quâ de re di-
gnus est, ut legatur *Joh. Barclajus in Argenid L. II.*
c. XI.

7.

Manet igitur extra omne dubium, Homi-
nem, quatenus Animi Prudentia ad Fortunam
requiritur, propriæ Fortunæ Fabrum esse.
Quod ipsum etiam agnovit *Seneca*, ad *Lucilium*
ita scribens: *Errant, mi Lucili, qui aut Boni aliquid*
nobis, aut mali judicant tribuere Fortunam. Valen-
tior omni Fortuna est Animus; in utramque partem
ipse res suas ducit, beataque ac misera vitæ sibi Causa
est. Epist. XCVIII. A quibus non multum discre-
pant *Democriti apud Stobæum* verba: *Fortune si-*
mulacrum Homines Prætextum imprudentiæ suæ finxe-
runt: quandoquidem parum resistit Prudentiæ For-
tuna, ac pleraque prudens animus in vita moderatur.
Hoc tamen adjectum volumus, ut caveat Fortu-
næ Faber, ne Prudentia ista Animi aut in *impie-*
tatem, aut in *arrogantiam & insolentiam* dege-
neret.

8.

Impietas evitanda est, ne scilicet ita Fortu-
nam tribuamus nostris consiliis, ut divina ex-
cludatur Providentia, sine quâ omnis Pruden-
tia vana fuerit & inefficax; quod elegantissimo
Epigrammate *incertus quidam Autor* docuit, à
Camerario in Heris subcis. adductus *Centur. i. p.*
366.

Si vi-